

§. X. Vis judicii, quæ alias ἀγχινοια dicitur, est vigor judicii in distinguendo, conferendo, investigando, & solvendo. Hæc etiam pertinet σοχασμός, seu felicitas in conjectando, quam Critici magnopere laudant, sed cautissime hic adhibenda.

§. XI. Vis ingenii præsertim elucescit in intuendis affectibus scriptorum, & ingeniis personarum, de qua re multa monet *Hermannus ab Harde in Grammatica Exegetica*. Hæc vero ad excessum prope persequitur *Augustus Hermannus Frankius, in Dissert. de Emphasi vocum Ebraicarum §. 10. sqq. it. in Corollario ad Disputat. de Præfixis Hebræorum, et Breithauptus, in Thes. Credendorum p. 49.*

§. XII. Peritia linguæ Ebrææ summe necessaria est futuro Exegetæ; Quicquid contradixerint Pontificii, præsertim *Huntlaus*, Fanatici, atque ex his præsertim *Poiretus*, nec non *Hermannus Conringius in vindicatione contra Wasmuthum*. Sed huic præsertim ab eodem *Wasmutho in Anti-Conringio*, aliisque scriptis, abunde responsum est. Cum enim V. T. perpetua sit maneatque veritatis regula, cum N. T. plenum sit phrasibus ritibusque, ex Ebraica literatura explicandis, cumque Deo placuerit suam nobis mentem Ebræis vocibus & phrasibus primum revelare, nullum est dubium, quin quo quis Ebraismi peritior est, eo felicius, si cætera non desint, in Exegesi versari possit. Ita vero tractandum est Ebraismi studium, ut

a) regulas Grammaticas nobis quam maxime familiares reddamus, simulque discendo radices, &

A 5

legen-